sit: etsi naturæ conditio ferebat aliter. Quæ perspecta regi Cambysi (neq; enim fieri poterat, ut admirabile diuinumq; opus in tenebris & caligine uersaretur) eius animum rei nouitate perculerunt. Adductum esse se calumnia Magorum admodum pœnituit. Hic audacior effectus, eundem locum ipse adijt, & omnia dispexit. ibi hominem manibus intentis hymnum dicentem Christo leones illi subiectos, ac quasi uestigium reuerentes intuitus, arripi Magos ocyus auctores iniquitatis indicit, atq; leonibus apponi. Qui modo tanquam palpones, & adulatores insita naturæ ferocitate prosiliunt, ex more corpora laniant, & miserè disperdunt. Equidem mihi succurritin mentem, ut externum de Christi diuinitate aliquod testimonium commemorem. Siquidem eo fiet, ut improbi mortalium animi petulantiæ morbo grauati Dei filium, Deumq; modo sua admittãt & fidẽ adhibeant, intelligant. Igitur Erythrea Sibylla, quę seculo sexto à diluuio fuisse dixit Appollinis sacerdotem se, ac corona fortasse propterea habuit insigne caput illius Deitatis obseruatrix. Antiquum tripodem circa quẽ uersabatur anguis amplexata, qui scisciatũ adijssent oracula edebant amentia parentum, qui religioni deuouerant, ex qua impudici animi, frugi nihil euenit unquã, ut ijs quæ de lauro feruntur omnia consonent. Illa igitur aliquando medijs adytis impotuno superstitioseq; religionis ritu intermisso, afflata proculdubio cœlitus edidit apertè futura de Deo uersibus. In eorum serie literæ quæq; primores (Acrostichis à Græcis appellatur) aduentus Iesu historiam significant. Acrostichis hæc est:

IESVS CHRISTVS DEI FILIVS, SERVATOR CRVX.

Versus autem hi qui sequuntur.

Iudicio telluris erit sudoribus omen.
Erumpetq; alto carnem qui iudicet, atq;
Suspensum (tanti est regis præsentia) mundum:
Viderit inde omnis uel si perspecta fides est
Siue hæc nulla Deum sanctosq; in finibus æui:
Carnis amasius & pulpa uestitus amica,
Hic animis alte è sella ius dicet eritq;
Rerum campus inops, tribuli nascentur, opesq;
Inuisæ fient homini, atq; iacebit imago,
Soluentur portæ stygij Plutonis ab illo,
Tum quoduis ista gaudebit luce cadauer.
Vir sacer atq; exlex flamma dignoscitur, atq;
Scitur integrum quicquid tamen usq; latebat.
Ducet enim lampas reseratis frontibus intro:
Et multi plangent, multi ringentur, & astra
Inducent choreæ legem, facies tum solis opaca.
Flexum erit & cœlum, nulla quoq; luce Diana.
Implebit ualles, & cassa cacumina reddet.
Labentur colles hominum fastidia: toti
Incipient æquor fieri montes mare demum
Veliuolum nulli cum tellus fulmine aresset.
Subsident fontes, & nusquam fluminis horror.
Suspectum cœlo sonitum dabit ære recuruo
Eiulans tuba perniciem mundiq; labores,
Recludetq; chaos immensum terra dehiscens.
Vndiq; conueniunt reges, sedemq; uidebunt.
A cœlo riuus flammæ, undæ sulphuris atri.
Tum bene iactandum indicium mortalibus atq;

Optatum

Optatum cornu, lignum cum gente fideli,
Res æque una pijs uita, orbiq; insitus error.
Clara duodenis illustrans fontibus unda,
Roboreumq; pedum toto dominabitur æuo.
Versibus exceptus Deus his primo relitura est
Xenophilus nostra causa rex ultima passus.

Ista diuinitus in animum uenit edicere uirgini, quam ego profectò beatissimam esse iudico, delectamq; à Deo Opt. Max. consilij sui uaticinatricem de nobis. Etsi plurimi seuerè negant hæc esse digna fide, cum tamen Erythream Sybillam fateantur. Atq; illi quidem aliquem suspicantur, huiusce ritus obseruatorem hominem poeticę non ignarum confecisse uersus, subinde Sybillæ nomine circumferri quædam quasi uaticinia, quæ reuera adulterina sint, & tamen ad instituendam probè uitam conducibilia, cum excidio uoluptatum homines ad honestatem arripiant & temperantiam. Ad exquisitam autem rationem ueritatis, hominum nostrorum diligentia annotatis interuallis tẽporũ, iam ut nemo posset aliqua de re ambigere, post aduentũ Christi poema composita esse, & tanquã uersus essent à Sibylla dicti, ita falso tenuisse. Nam certũ illud est, incidisse in poema Ciceronem, idq; factum ab eo Latinum cum suis elucubrationibus annumerauisse, qui tenente Antonio rerum summam sublatus est. Iterum Augustum Antoniano bello superiorem euasisse. Ille sex & quinquaginta annos imperauit. Insequutus est Tyberius, quo seculo aduentus illuxit, atq; sacrosancti ritus inualuit ubiq; locimysterium. Tum noua populi successio conspirauit, de qua sapientissimum poetarum Italiæ duntaxat intelligere puto, cum dixit:

Iam noua progenies cœlo demittitur alto.

Rursus alio quodam Bocalicorum loco:

Sicelides Musæ paulo maiora canamus.

Quid esse possit apertius? etenim subiunxit:

Vltima Cumæi uenit iam carminis ætas.

Subobscure nimirum Sibyllam innuens.

Atminimè contentus eo libentius progressus est, quia suum hac in re testimonium desiderari existimat. Hoc uero quale tandem est?

Magnus ab integro seclorum nascitur ordo,
Iam redit & uirgo, redeunt Saturnia regna.

Quæ nam illa uirgo per deos aduentare dicitur, an non illa luminis & spiritus sacri plenissima? atqui nihil aduersatur ea quæ uirgo sit uti afflatu diuino fœta uideatur. Iterum ille ueniet, atq; orbẽ terræ alleuabit. Addit poeta:

Tu modo nascenti puero quo ferrea primum
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo.
Casta faue Lucina.
Quo duce, si qua manent sceleris uestigia nostri
Irrita, perpetua soluent formidine terras.

Agnoscimus autem intelligimusq; manifestè, quæ allegoria occultantur. Nam qui uim carminis altius esse repetendam putant, illis se diuinitas explicat atq; aperit. Eadem uia poetæ consultum probè est, ut eum primates in urbe regia incusare nequeant, aut insimulare impietatis aspernantem leges à maioribus acceptas, omnino religionem conantem circumscribere & euertere. Propterea ueritatẽ inumbrat, & opinione mea illustrem, optandumq; obitum Seruatoris intellexerat. Vt autem declinaret immanes illos atrocitatis oculos, auditorem à nostra dicendi cõsuetudine noluit auertere. Ait ipse ponendas aras, delubra facienda, in lucem edito nuper litandum esse. Porrò cætera ordine annectit ijs qui sapiunt. Inquit enim:

Ille

Ille deum ũitam accipiet, diuisq; uidebit
Permistos heroas, & ipse uidebitur illis:
Pacatumq; reget patrijs uirtutibus orbem.
At tibi prima puer nullo munuscula cultu
Errantes hederas passim cum baccare tellus
Mistaq; ridenti colocasia fundet acantho.

Sanè uir admirabilis ac undecunque doctus, ille seculi sui crudelitatem compertam habens, ait:

Ipsæ lacte domum referent distenta capellæ
Vbera, nec magnos metuent armenta leones.

Et certè sic ita res habet, haud enim regio potentatu fides exterreri poterit.

Ipsæ tibi blandos fundent cunabula flores:
Occidet & serpens, & fallax uerba ueneni
Occidet, Assyrium uulgo nascetur amomum.

His nec; uerius esse quicquam potest, neque ad præstantiam Dei optimi accomodatius. ipsa Christi cunabula nouum germen, odoratique flores à Pneumate sacrosancto, occident uenena, occidet serpens, atq; illius os impudens, ex quo primis hominibus imposuit, ab insitisq; honestatis ignibus ad uoluptariam uitam auertit, exitium uti præsentissimum sibi adesse prouiderent. Nam antequam Christus aduentaret causa immortalitatis hominum meliorũ, percellebat omnium animos ignoratio, nulla boni cuiuspiam expectatione erectos. Hic cum passus esset, interualloq; separatus à corpore, sensere homines quantum in ea resurrectione solidarum uirium inesset atque roboris: iniusticiæ si quę reliqua lex erat, tota lauacro expungebatur. His paucis diebus animo bono esse iussit, excellentis illius, & adeò celebratæ resurrectionis similem expectare. Proinde meritò dicitur occidisse herbam ueneni fallacem: mortem ipsam demortuam iugulatamq; esse, testata ac consignata resurrectio est. Assyria gens internecione periit. Vnde fides impressa ferè est. Amomum igitur appellat ipsum uulgò natum, multitudinem quæ se rituí nostro consecrarit. tanquam enim una radice rami undiq; erumpentes, eximio florum germine uestiti, modico rore pullulant. Erudita uerò impensè, poetarum Maro prudentissime, quæ simili deinceps ingenio conscripsit:

At simul heroum laudes & facta parentis
Iam legere, & quæ sit poteris cognoscere uirtus:

Heroum laudes; opera probotum actionesq; nuncupans: orbis autem machinationem & structuram, integerrimum toto æuo domicilium futurum parentis acta: fortè leges etiam, quibus ecclesia iusticiam æmulata, atq; temperationem uitæ utitur, absurdi accipi nihil est, aggeratio uehemens certè & admiranda, acer de soluto uitæ genere honorum inter & malorum limites, in qua repentinum confertumq; omnem motum deprecatur,

Molli paulatim flauescet campus arista:

Quæ Dei fruges erunt, & ipse legis usus.

Incultisq; rubens pendebit sentibus uua:

Quod esse ex lege uita nostro nullo modo posset:

Et duræ quercus sudabunt roscida mella.

Depingens seculi illius stoliditatem atq; duritiam morum. Equidem nihil obest eo uersu Dei labores accipi, qua de re auditor eruditur, & tolerantiæ fructum mellitissimum legat.

Pauca tamen suberunt priscæ uestigia fraudis,
Quæ tentare Tethyn ratibus quæ cingere muris
Oppida, quæ iubeant telluri infindere sulcos.

Alter

Alter erit Tiphys, & altera quæ uehat Argo
Delectos heroas, erunt etiam altera bella,
Atq; iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles.

O poetarum lepidissime & doctissime, omnino poeticę licentia non abusus, effecisti quod oportuit. Id enim planè instituisse te, non arbitror, ut oracula ederes, præsertim cum esse te uatem nolles. etiam periculum quoddam tenuit in eos erutum maximè qui sancta maioribus esse reprehendenda iudicarent. Tametsi admodũ cautè minusq; temere pro moribus se interpretem ueritatis, his saltem qui aliqua mente animi sint ostendit. Ille turres, ille bella confinxit, ea quæ nunc etiam tota uita nostra uersantur. Ad aciem Troianam accingi Seruatorem nostrum optimè subindicat. orbis est terræ immensus illa Troia. Itaq; bellum gesit aduersum copias sceleris iniquitatis audaciæ terras occupantes, eam ob rem ut ab altissimo parente cui rationem propriam adiunxerat emissus. Quid poeta prætera ait?

Hinc ubi iam firmata uirum te fecerit ætas.

Id est, ubi radicitus humanam uitam quæ circunstant euulserit adulta iam ætate uir, ubi terras uniuersè fœdere sanctissimo expoliuerit.

Omnis feret omnia tellus.
Non rastros patietur humus, non uinea falcem.
Robustus quoq; iam tauris iuga soluet arator:
Nec uarios discet mentiri lana colores:
Ipse sed in pratis aries iam suaue rubenti
Murice iam croceo mutabit uellera luto.
Sponte sua sandix pascentes uestiet agnos,
Chara deum soboles, magnum louis incrementum.
Aspice conuexo nutantem pondere mundum
Terrasq;, tractusq; maris, cœlumq; profundum,
Aspice uenturo lætentur ut omnia seclo.
O mihi tam longè maneat pars ultima uitæ,
Spiritus, & quantum sat erit tua dicere facta,
Non me carminibus uincet nec Thracius Orpheus,
Nec Linus, huic mater quamuis, atq; huic pater adsit,
Orphei Calliopea, Lino formosus Apollo.
Pan etiam Arcadia mecum si iudice certet,
Pan etiam Arcadia dicat se iudice uictum

Dispice porrò, inquit, elementorum lætitiam. Quæ rudis aliquis homo aut sanè male doctus ad natales humanos exigenda censebit, homine parente uidelicet. At absq; rastris & sementi rationem non habet. Aequè illud est, falcis aciem uinea respuet, atq; omnem procurationem reliquam. Quæ de nato homine quomodo possint accipi, non uideo. Quandoquidem administra fati natura est, hominumq; nutum nihil obseruat. Et exultãtes universi partes aduentantem Deum, non hominem editum iri in lucem præsagiunt. Ipsius oratio poetæ uehemens sibi uitæ finem protrahi obsecrantis est animi cœlitus instincti nota. Quod enim assolet, à Deo uitæ atq; fortunarum tutelam non ab homine petimus. Erythrea uerò Sibylla Deum sic affatur: Here cur ad eam me necessitatem uaticinandi adigis? Illum incertum diem potius suspensumq; humanitati sineres, usquedum incipies aduentare. Quæ sequuntur, adiunxit ad illa superiora Maro:

Incipe parue puer risu cognoscere matrem,
Matri longa decem tulerunt fastidia menses.
Incipe parue puer, cui non risere parentes,
Nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est.

Qui fit enim ut illi parentes arriserint? Horum ille deus est immunis à qualitate potentatus. Nulla deformatione corporis exprimi, describíue nisi certe humani potest. Thalamum incomprehensum esse Pneuma sacrũ, ecquis addubitare audeat? Ecquæ appetitio desideriumúe toto genere bonorum quo ab omnibus accurritur, aut quid omnino uoluptati cum sapientia commune est: sed ea missa faciamus, ipsq; tractanda relinquamus humana qui sapere uolent. Alij sunt ingenij excultores, animíq;: hisce de factis & dictis expurgari appetunt. Ego uerò tuam opem ad ea quæ mihi dicta sunto, religio pietatis & castimonię ex imploro: nulla mihi spes, aut expectatio optatior. Non est illa subærata pollicitatio, quã à doctore immortalitatis accepimus. Adoro uos ô pietas & humanitas. supplex æternam gratiam merito uestro debere confiteor. Incogitans autẽ uulgus atq; expers auxilium uestrũ, imò Deum ipsum propter antiquas in uos inimicitias aspernatur. Ignorat egregiè rationem uiuendi & causam, esse se quicquid, ac quantus est omnes etiam improborũ quisquilias superioris ope nescit. Huius uniuersitas est huius omnia quęcunq; in ea insunt. Meę fœlicitatis & omnium meorum, nobilitati causas ascribo. testimonio esse poterũt, euentus illi uotiui, facta preclara uictorię trophæa de hostibus. Horũ conscia magna ciuitas acclamat, atq; celebrat: eadem est uoluntate urbis amicissimæ, populus etsi incerta spe deceptus hominem indignum prouincia sibi prefecit. Ille oppidò quàm facilè suo merito deprehensus ingressionem audere, de qua facere uerba nefas illi præsertim qui te alloquitur, & ope summa nititur, ut ominari absit, omniaq; nomine bono dicere peroptet. Ego profectò aliquid habeo, nec informe, nec indecorum dictu. Bellum desperati fœderis atrocissimũ, ô religio & pietas sacrosancta ecclesijs à tyrãnide inductum est. Nulla tempestate defuere orbi Romano qui non publicis istis incommodis exultarent, ac gaudio dissilirent. Instructus ad ineũdam pugnam campus erat, & tu pedẽ obfirmasti, fidẽq; in aciem descendens es tutata. Crudelis & acer animus improborum incitatus atq; latè diffusus, insignem tum attulit tibi & perennem gloriam. Hoc ipsum erat quamobrem tenerentur reuerentia aliqua spectatores, cum tortores & carnifices affligendis omni genere cruciatus horrerent ipsi ac fathiscerent: quum remissa uincula, dissolutus & mollis eculeus, ignis hebes: cum ne momento quidem repressa, uel etiam minimum labefactata dicenti libertas est. Quid igitur impurissime adiumenti tibi audacia attulit? cur repentè lymphatus extitisti? an quia deos honore prosequebaris? Amabò quos esse mihi dices illos, aut tibi unquam in mentẽ uenit aliqua de natura diuina cogitatio? deos esse tibi iratos putas? Qui si essent, eorũ demirari cõsilia magis atq; rationem, quàm obsequi impudentiæ iubentium iugulum peti optimorum hominum oporteret. etiam'ne mihi dicturus es, ita maiores habuisse illa in opinione perstitisse? concedam etenim, hæ leges illorum uitę persimiles erant, eadem utrobiq; amentia uersabatur. fortasse arbitrabere in artificum munere fabrorum, inquam, & sculptorum facultatem inesse quandã præcipuam atq; uim. Proinde fouisti imagines: omnis illa tua cura, omne studium ne sordibus opplerẽtur. Ita magni primariíq; dij humana se ope sustinebant, istam diligentiam requirebant. Quæso nostram modo religionem cũ hisce compara. Hic omnium conspiratio, clementia perpetua, lapsus inuestigatio. Nam adhortatio exilio antefertur. Hic salutis non atrocitatis clientela, optima fides primum Deum contra, deinde ad hominum societatem natura comparatã assumpta. Hic eorum miseratio quos à natura profligatos esse constat. Vitæ genus simplex, & minimè callidũ, intelligentia Dei maximi, quæ uerissima pietas, atq; religio sanctissima nullo fuco inquinata. sapiens institutum uitæ est, quod ingressi tanquam uita publica ad im-

ad immortalitatem transeunt: id qui instituet, ille animum liberum à commercio corporis habebit, ille nunquam desinet: & implere munus suum potius, quàm errare dicetur. Qui Deum confitebitur, in eo se minimè exercebit iracundia: generosè tolerãterq; necessario tempori sustinendo sese dabit. Is erit animi bene preparati commeatus, Humanam quidem honestatem diligi à Deo, nullus ambigit. Est enim præabsurdũ homines aliquo gradu dignitatis etiam infimo, clientum officia atq; merita uelle beneficentia reperire, Deum rerum autorem negligere penitus: id autem uitam nostram maximè comitatur: ac quoties agere bene uolemus aliquid, adesse tum intelligemus. Ille cum primum accepit, ex merito reponit æstimationis aut fortitudinis, absolutum uerò beneficium differt. Hic uniuersa uitæ ratio putanda, quæ cum rectè & ordine fuerit, immortalẽ uitam adipiscemur. Improbi scelus suum quisq; luẽt. Ego tè bone uir interrogo, qui inuasisti in labores alienos, qui ecclesiam odisti, qui probè uiuentes ad supplicium & pœnam adegisti, qui te secundũ uitã facis? Quæ te porro & quanta urgent mala, quamqúe uaria? cum nondum animam egisses, & in uiuis tamen haud iam esses, interea loci compertum de tua beatitudine. Cum Scythicis agris ad interne cionem Romanus exercitus, atq; adeò imperium celebre deperijt, estq; duce te contemptum à Getis. Eandem cædem in ecclesia cũ exercuisses, supremum iudicium, Valeriane sensisti. Ibi turpe mancipium regali purpura imperatorio ornatu deprehensus es, & à Saporo tandem Persarum imperatore excoriari iussus & salitus, æternum de calamitate propria trophæum permanebis. Et tu seminarium iniusticiæ, nunquid Aureliane cum Thracia fuisse decurreres, insigniter occisus, impio sanguine uiæ sulcos refersisti? Diocletianus à proscriptione & cæde suo iudicio reus in ignobili quodam hospitio quasi carcere conclusus est, atq; pœnas dedit. Illi uerò quantum fuit indicere bellum Deo nostro? Commodè. Nicomedia, quo timorem fulminis omni uita minimè, inquit, apponeret. Id antistites historiæ non tacent, in quibus esse non nego. Regiam depopulatus est ignis, atq; uastè flamma de cœlo tanquam lambendo serpebat. Quorum nihil ab intelligente euentum non antea multo prędictum est. Nam neq; reticere, neq; tectum in tam indigne factis compescere poterant, quin apertè sua publicè liberius expromentes in congressibus exclamabant: Quæ tanta per fortunas insaniat quę arrogantia potestatis? homines aciem explicare Deum contra, proteruè illudere sanctissimæ religioni & ritui purissimo. Nulla causa multitudinem uitorum optimorum de compacto trucidare. Prò disciplinæ militaris atq; modestiæ magistrum. Proh solicitudinem in ciues administrandi exercitus. Gentiles suos aduersò uulnere cædebant, qui iusta pugna nunquam uiderant aduersariorum terga. tandem probe ulta est, incommodo tamen aliquo reipublicæ prouidentiam, quicquid unquam factum erat impiè. sanè cędis atq; sanguinis tanta uis fuit, ut si Barbarorum esset, ad otium fœdusq; sempiternum sufficeret. Omnis istius Imperatoris exercitus in manum uenerat hominis inepti, qui Romanum regnum arripuerat, isq; innumeris prælijs urbem protegente Deo confectus est. Atqui oppressorum uoces, appellatio numinis, ingenuitatis amor retinendæ aut reuocandæ: laudes ubi primùm euenere desideria, atq; libertas affuit, ubi ærumna auulsa, charitatem altissimi Dei erga mortales optimè demonstrant. Hi cu administrationem meam laudant, hoc afflati numine faciunt, in primis autẽ Deum optimum maximum actionum mearum principem esse confirmant. Illius est agere bene singulariter, hominum audientes esse dicto. Multo autem sententia mea ingressio pulcherrima cuiusq; muneris, si quis antequam incipiat, ita præmuniat ea quæ fieri summè cupit, atq; prouideat, ut in utramq; demum

(quod aiunt) autem ſecurè dormiat. Atq; nemo neſcit harum manuum ſanctam eſſe prouinciam, uigere fide, contendere precibus, & efficere quod publicè omnibus, ac priuatim ſingulis utile ſit. Hæ pugnas atq; prælia conſerti pferunt, ipſæ uiderunt quum populi non abſq; fato uictoria fuit. Annuiſſe precibus altiſsimum norunt. Namq; eſt illa precandi uis inexpugnabilis ab animo æquo profecta, cuiuſmodi ſi qui ſunt, à ſcopo non aberrant. Aliàs enim repulſam ferre mundum nemo uidit, niſi cum titubãter accederet. Adeſt æternum propitius, hominumq; æquitatem Deus accipit. Itaq; labi quidem humanum eſt, huiuſq; ad illum cauſa minimè pertinet. Omnes homines qui ſeſe ſtudent excellere pietate, Deo ſeruatori confiteri, quum ſalutis ergô tum reipublicæ ſecundi curſus, oportet inſuper obſecrare aſsiduè atq; obtestari Chriſtum, qui ſuam beneficentiam retineat erga nos: ille ſocius æquitatis q; tutor, ille à nullo ſuperatus, idem iudex optimus, immortalitatis index, æternæq; uitæ dator.

PRAEFATIO IN ORATIONEM DE *laudibus Conſtantini Magni.*

GAVSA mihi in hunc locum ueniendi, amici & ſacerdotes Dei, non fuit illa quidem, ut fabularũ commentis, aut ſermonis elegantia ad auras capiendas conquiſita, tanquam ſuaui Syrenũ cantu ueſtros animos permulcerem: aut ut aureis poculis, uti poeticè loquar, id eſt, nitidis orationis floſculis cõcinna uerborum ſtructura colluſtratis, uoluptatis lenocinia his qui eiuſmodi rebus oblectantur, proponerem: ſed partim, uti uos qui ſapientum conſilio inducti, ſancti Dei uerbi miniſtri eſtis, commonefacerem in concionando, ut tum à tritis illis rhetorum uijs deflectatis, declinetis q;: tum ſedulò caueatis, ne ueſtrum ſermonem ad imperitæ multitudinis accõmodetis arbitrium: partim, ut nouo orationis genere apud uos Imperatoris laudes percelebrarem. Et quanquam infiniti ferè alij idem ipſum iter ad eius uirtutes prædicãdas mecum ire contendunt: ego tamen hominum ueſtigia uitans, uiam inuſitatam ac minimè tritam inijſtam, quam quidem illotis pedibus ingredi nefas eſt: ũt alij populare dicendi genus, & puerilibus argutijs confertum conſectantes, lepidam q; orationis amplectentes concinnitatem, mortalium aures narrationibus de rebus mortalibus & caducis inſtitutis deliniant, primasq; deferant uoluptati: ipſius tamen ſapientiæ, quæ per omnia manat ac funditur, profeſſores, utpote diuinarũ humanarumq; rerum ſcientiam conſecuti, quoniam rei præſtantioris delectum in boni loco numerant, idcirco diuinas Imperatoris uirtutes, & pia eius in Deum officia, longe illis quæ erga homines præſtitit, anteponũt, reſq; eas quæ ſecundas obtinent in bonis, ſecundæ claſsis rhetoribus prædicandi faciunt poteſtatem. Itaq; cum ſapientia quæ in Imperatoris animo inſita eſt, in rerum tam diuinarum quàm humanarum cognitione cernatur, atq; illæ uideantur ad Deum, hæ autem homines ſpectare: hi qui extra Sacrarum literarũ quaſi ambitus conſiſtunt, rerum humanarum ad Imperatoris laudes pertinentium prædicationem, modò ſint ad illud munus idonei, ſibi tractandam ſumant: quæ quanquam & ſplendoris excellentiæq; ue plurimum, & fructus utilitatisq; non minus (omnia enim quæ in Imperatore cernuntur, ſunt planè eximia) in ſe complectuntur: tamen diuinis illis uirtutibus, quibus mens eius imbuta eſt, ſunt longè inferiores. Qui autẽ in ſacroſanctos diuini eloquij cãcellos intrarint, eiuſdemq; adyta fuerint & inacceſſa penetralia ingreſsi, hi quaſi portas illius profanis auribus occludentes, arcanas Imperatoris initiationes iſtarũ rerum

Videtur vbe tores intelligere, qui in ſtudio ſolum humanitatis uerſantur.

Miniſtros uerbi et ſacræ Scripturæ profeſſores intelligit.

rum duntaxat profeſſoribus explicare aggrediantur. Qui porrò aures pietatis riuulis perpurgatas, & intelligentiam aeris (ut ita dicam) ipſius animi alis habẽt in ſublimi defixam, in laudibus ſummi omnium regis & moderatoris celebrandis inſiſtant, tacitiſq; diuina myſteria obeant. Nos uerò ex uatum oraculis, quæ diuini Spiritus ſancti luminis edita ſunt, non autem ex illis quæ à diuinatione, ne dicam dementi inſania, profecta ſunt, perfectorum myſteriorum, quę traditur de ipſo cœleſti regno, de imperatore omnium ſummo, de diuino ſatellitum agmine, quo ſummus ille Imperator ſtipatus eſt, de ueto & perfecto, deq; falſo & ſpecie ſolum adumbrato imperandi modo qui in terris exiſtit, denicq; de his quæ utrunq; ordinem conſequuntur, explicationem depromamus. Hæc igitur ad iſtarum rerum decus illuſtrãdum piè ſanctèq; præfati, deinceps ad diuina myſteria explicanda aggrediamur.

EVSEBII PAMPHILI DE LAVDIBVS CONSTANTINI IMPERATORIS ORATIO, QVAM ad trigeſimum annum Imperij eiuſdem Conſtantini habuit.

IST quidem hic conuentus ad præpotentem Imperatorẽ laudibus ornandum celebratus, in quo nos, qui Imperatoris illius miniſtri ſumus, Sacrarum literarum diſciplinis diuinitùs afflati, gaudio & lęticia exultemus. Atq; ab illo ipſo magno et prępotenti Imperatore noſtri feſti ducamus exordium. Magnum illum equidem Imperatorem uoco, qui reuera magnus eſt, eumq; intelligo (mihi iſta dicenti, Imperator, qui præſtò adeſt, minimè (certò ſcio) uertet uitio, imò uerò etiam ſermonem de Deo inſtitutum collaudabit plurimum) eum, inquam, intelligo, qui uniuerſitati præeſt, qui omnium ſummus eſt, qui celſiſsimus eſt, qui longè maximus eſt: cuius Imperij ſedes ſunt cœleſtes globi, & terra ſcabellum pedum eius: quem nemo plenè cogitatione propterea complecti poterit, quod lumen inexplicabili radiorum ſplendore, ei circum fuſum, quemq; aciem mentis intendentem ab eius diuinitatis contemplatione depellit. Hunc cœleſtes exercitus circumdãt: hunc ſtipant ſupremę poteſtates, hunc moderatorem Dominum & Imperatorem agnoſcunt. Quinetiam angelorum infinitæ multitudines, turbæ archangelorum & ſanctorũ ſpirituum chori, ex illius claritatis radijs tanquam ex perennibus luminis fontibus ſplendorem haurientes, colluſtrãtur. Etiam luminaria omnia, quæ corporea ſunt, diuina præterea & ſacra luminarium corpore uacantium genera, quæ locum ſupra cœli uerticem ſitum obtinent, magnum hunc Imperatorem eximijs & diuinis hymnis extollunt. Iſtum immenſum cœlum, tanquam aulęum ambit cœruleum, eoſq; qui ſunt extrà, ab interiore illius palatio ſecludit. Circa hoc tanquam in palatij ueſtibulis faces geſtantia, uoluuntur ſol, luna, & cætera luminaria cœleſtia, quæ uniuerſitatis moderatori honorem impertiunt: ipſiuſq; nutu & præcepto, rebus, quæ locum tenebricoſum occupant, extra cælum collocatum, aſsiduam lucem porrigunt. Iſtum magnum noſtrum Imperatorem, Chriſtumq;, & ipſum etiam uictorijs inclitum Imperatorem noſtrum, laudibus efferre cum conſtituam, uideor mihi eum prædicando pręclarè admodum facere: quippe cum illum authorem eſſe Imperij, cui nos ſubiecti ſumus, exploratè cognitum & perſpectum habeam. Iſtum quoq; pij Cæſares, Imperatoris filij, fontem omnium bonorum (hoc namq; à patre didicerunt) ingenuè agnoſcunt. Iſtum frequentes exercituum turbæ, ingentes populorum multitudines, in ſingulis regionibus ur-

Deus Imperator ſummus.

bibusq; prouinciarumq; etiam præsides conuentus celebrantes, sancte uenerantur, ad eam rem à præclaro Reipublicæ conseruatore & magno Constantino perdocti. Porrò autem uniuersum simul hominum genus, gentes cuiusque generis, tribus & linguæ, licet de alijs rebus in uarias & discrepantes sententias distrahantur, in huius tamen laudis confessione uno ore tum cõmuniter, tum singulatim cõsentiunt: hunc q; unum & solum cogitationibus naturaliter insitis, & notionibus quibusdam, quas sua sponte hauserint, discerint q; impulsi, gloria & prædicatione extollunt. Quid? an non hunc tota terræ moles dominum confitetur, germinibusq; & animalibus ex se editis obedientiam, quam ei ad maximam rerum in ipsa procreatarum commoditatẽ præstare debet, perspicuè declarat? Hunc rapidi fluminum decursus inũdantes torrentibus, hunc fontium perennium riuuli ex infinitis iugibusq; abyssis emanantes, diuinæ & admirabilis fabricæ authorem profitentur. Hunc profundi maris gurgites immensa altitudine cõclusi, abruptiq; fluctus in sublime elati, nutuq; legis colligati diuinæ, qui cum ad ipsa littora conuoluntur, terræ uelut formidinem incutiunt, magno pere exhorrescũt. Quin etiam modificata hybernorum imbrium fluenta, sonori tonitruum fragores, ardentes fulminum corruscationes, uolubiles item uẽtorum impetus, uagi per aerem nubium gressus, hunc illis qui eum ipsum aspicere non possunt, quodammodo contemplandum proponunt. Sol præterea, cuius luce complentur uniuersa, quiq; diuturna seculorum spacia dimetitur, hunc solum dominum nouit, eiusq; uoluntati inseruiens, nunquam extra cursus sui terminos uestigium flectere audet. Luna quoq;, cuius lumen multo obscurius est quã solis, quæq; temporum conuersionibus crescit, decrescitq;, diuinis legibus morem gerit. Adde his ornatum cœli curſibus astrorum illuminatum, ordineq; & concentu progredientem, suosq; obeuntem circulos, qui etiam quasi uoce emissa Deum lucis cuiusq; modi largitorem prædicat. Itemq; omnia cœlestia luminaria, quæ eius nutu & uoluntate unum gignunt concentum, diurnorumq; seculorum conuersionibus per longum curſum conficiunt, & in stadijs ætherijs obeunt certamina, noctium etiam & dierum uicissitudines, temporumq; anniuersariorum mutationes, denicq; numerosi cõcentus & ordines uniuersi, uariam eius & multiplicem sapientiam celebrant. Illi porrò potestates ab oculis seclusę, percq; liberam & patentem aeris planicie peruolitantes, debitam & decoram tribuunt uenerationem. Illum igitur magnũ Imperatorem mundus pariter uniuersus laudibus exornat: illum cœli sublimes, excelsiq; cœlestium globorum chori honorant, illum collaudant exercitus angelorum arcano hymnorum concentu. Spiritus ex diuino eius lumine sati, illium genitorem suum diuinis preconijs efferunt. Illum secula infinita, quę hoc cœlum, hunc q; mundum sunt antegressa, aliaq; interminata secula, perenni istorum seculorum serie continuata, quæ ante rerum sub aspectũ cadentium ortum extiterunt, solum ac prepotentem moderatorem & dominum agnoscunt. Illum etiã ipse æternus unigenitus eius sermo, qui in omnibus, ante omnes, & post omnes existit, magnus magni Dei pontifex, omni tempore, omnibusq; seculis antiquior, dignitatis paternę particeps, primus ac solus pro omnium salute placauit. Qui tum primo honore in imperio huius uniuersitatis, tum æquali cum patre in regno paterno dignatus est. Nam ille lux est supra hanc rerum uniuersarum compagem sita, quæ & circa patrem meat, eiusq; speciem principio & ortu carentem à rerum mortalium essentia diuidit, discluditq;: & cœlitùs etiam ex diuinitate illa, quæ tũ finis tum initij expers est, emanans, extrà profundit sese, atq; locum supra cœlum positum, aliaq; omnia quæ cœli complexus continet, multo excellentiore claritate quàm quæ à sole porrigitur, collustrat. Ille Dei sermo hunc mundũ suo nutu

Ad Dei laudes celebrandas omnes creaturæ intentæ.

nutu regit uniuersum: ille super omnes res, & per omnes, & in omnibus, siue oculis cernuntur illæ quidem, siue aspectum fugiunt, incedit. A quo, & per quem, hic noster Deo charus Imperator, cœlestis imperij effigiem gerens, ad similitudinem Dei opt. maximi omnium regionum in terra sitarum clauum tenet, easq; gubernat. Ille unigenitus Dei sermo, à sempiternis seculis ad secula infinita interminataq; regni cum patre particeps est: hic noster perpetua amicitia illi coniunctus, imperij gubernaculis cœlitùs demissis donatus, diuinaq; confirmatus appellatione, multis annorum curriculis orbi terrarum præfuit. quinetiam ille huius uniuersitatis conseruator totum cœlũ, mũdumque, regnũq; cœleste, ut sit conueniens & decorum patri suo efficit: hic eius amicus, quotquot ex terræ incolis ipsius subijciuntur imperio, ad unigenitum Dei sermonem & Seruatorem nostrum agnoscendum adducit, ad regnumq; illius reddit idoneos. Ille communis omnium rerum propugnator, potestates rebelles, quotquot altius à terra per aerem oberrantes hominum animos uitiorum laqueis aliquando solent irretire, diuina quadam uirtute, quæ oculorum sensu percipi non potest, ueluti feras agrestes à suo grege, instar boni pastoris longissimè fugat: hic cum illo necessitudine iunctus, cœlesti illius ope tropheis contra hostes statutis nobilitatus, apertos ueritatis inimicos belli iure subigit, eosq; ad sanam mentem deducit. Ille sempiternus Dei sermo, & patronus omnium, semina salutaria, rationisq; participia eius fidei initiatis suppeditans, eos & sapientia cœlesti & regni paterni scientia imbuit: hic eius necessarius, tanquam Dei uerbi uates, uniuersum hominũ genus ad Dei cognitionem uocat, eam omnium inculcat auribus, claraq; uoce cunctis terræ incolis syncerę religionis ueritatisq; leges palàm prædicat, Ille omnium defensor, cœlestes regni paterni portas his qui hinc in illum locum demigrant, patefacit: hic ardenti erga Deum amore accensus, omnibus impij erroris sordibus ex hoc terrestri regno perpurgatis, sanctorũ piorũq; uirorum choros in suum palatium accersit: uniuersam hominum frequentiã à se gubernatorum incolumem seruare studiosè laborat: hunc conuentum hic solo ex omnib. q imperio Rom. aliquãdo præfuerint, à Deo summo omnium Imperatore ad triginta iam annorum spacium honore decoratus, nõ infectis manibus (ueterum more) necq; spectris dęmonum, homines in fraudẽ inducentium, necq; falsis dijs aut simulachris in locis excelsis collocatis, quę homines colebant impij, celebrat: sed ut ei qui eum ad hũc honorem extulerit, quemq; autorem agnoscat bonorum ipsi suppeditatorũ, gratias agat: neque tamẽ exemplo ueterum regiam suam sanguine polluit et cruore, necq; fumo, igni, aut hostijs animalium flammis penitus absumptorum, dęmones inferos placat, sed ipsi huius uniuersitatis moderatori gratam acceptaq; uictimã, suum ipsius uidelicet regium animum, & mentem sanctissimam consecrat. Nam illa sola uictima Deo chara iucundaq; est, quam noster hic Imp. syncęris interioris mentis cogitationibus, ignis sanguinisq; expertibus, immolare didicerit: hoc est, ut ueris opinionibus in animo insitis ueram religionem propugnet, eximia prædicatione Dei gloriam illustret, regijs officijs Dei imitetur benignitatem, secq; totum ei adijciat: & seipsum primitias mundi, cuius imperium ipsi concreditum est, tanquam amplum quoddã munus offerat. Hoc igitur sacrificium omnium præstantissimũ offert Imperator, & tanquam bonus pastor, non celebres illas uictimas ex agnis primogenitis confectas immolat, sed animas gregis rationis cõpotis, quem ipse pascit, ad Dei cognitionem uerumq; eius cultũ ducit. Deus tali oblectatus hostia, & munus lubens amplexus, & sacerdotem tam uenerandi tamq; illustris sacrificij largitiorẽ honore prosecutus, diuturna imperij ei concessit curricula: & quo eius sanctimoniã remuneratetur, pluribus amplioribusq; beneficijs illum affecit,

Constantini imp. ad impẽratorem Deũ collatio.

Victima Deo gratissima quæ.

fecit, deditq; potestatem uaria festa celebrãdi cum prospero & felici monarchiæ suæ successu. In singulis festis & conuentibus ad decimum quemq; annũ uertẽtẽ celebratis, unus ex filijs illius ad sedẽ imperij participandũ à Deo delignatus est, & uelut plantæ florenti uirentiq; temporum incrementa donata. Itaq; filius eius natu maximus, qui patris nomine est appellatus, primo regni decennio confecto, socius Imperij cum patre renunciatus est. Qui autem ei proximè accedebat ætate, anno uigesimo imperij ad eundem honoris gradum sublatus. Tertius deinceps hoc trigesimo anno, quo iam festum celebratur, eadem dignitate potitur. Nunc uerò si imperium eius ad annũ quadragesimum propagetur, ut Dei nutu temporis spacium crescit, sic numerosa sobole imperium erit amplificatum: Cæsarumq; declaratione, prophetarũ uaticinationes expletæ, quæ & iam pridem, & olim sic palàm prædicabant: Et suscipient regnum sancti Dei altissimi. Ad hunc modum igitur, & tẽporum & liberorum incrementa Deus summus omniũ imperator huic nostro sanctissimo Imperatori est largitus: statumq; eius imperij, cui gentes totus orbis terrarum obsequuntur, perinde prosperum & florentem reddidit, ac si modò florere inciperet. Quinetiam hunc conuẽtum eius causa curauit celebrandum, eumq; uictorem hostium & inimicorum omnium effecit: denicq; illum utpote egregium uerę pietatis exemplar, cunctis tertæ incolis proposuit ad imitandum. Hic claro Cæsarum filiorum suorum fulgore, uelut radijs quibusdam ex se longissimè profusis, non aliter atq; lumen solis suo splẽdore solet, homines ingenti locorum interuallo disiunctos illustrat. Itaq; & nobis, qui Orientem accolimus, suam ipsius præsentiam non sine maximo omnium commodo largitus est, & alteri hominum generi uersus Occidentem unum ex filijs præfecit, & alios duos in alijs locis, tãquam faces ac lumenaria ex sua ipsius claritate diffusa collocauit. Petrò autem Imperij quadrifariam dispertiti iugum, quasi quatuor equis, id est, sibi & tribus filijs Cæsarib. fortissim simponens, ipse eos diuini animorum consensus & concordiæ frænis colligatos, cœlitus moderatur: pariterq; uniuersum terræ orbem, quẽ sol uidet, peragrat, & omnibus hominib. tanquẽ præstò adest, atq; adeò res cunctas quodammodo oculis lustrat. Quinetiam cœlestis imperij gent effigiem, oculosq; in sublime tollens, homines in hoc inferiore imperio ad exẽplar primariæ illius imperij formæ gubernat, monarchæq; principatum imitatione & exẽmplo cœlestis confirmat imperij. Istam enim imperij formam lex, quæ rex omnium est, humano generi orbem terræ incolenti tribuit: quippe hęc regiæ potestatis compos lex, unum omnibus præscribit imperium. Atq; monarchia certè omnes alias rerumpub. species, & administrationis modos longe superat. nam multiplex imperium, quod ex hominibus honore & sensu paribus cõstat, quodq; cum monarchia ex aduerio pugnat, confusionis ac seditionis potius quàm imperij nomen meretur. Quapropter ut unus Deus est, non duo, non tres, neq; præterea plures (nam deorum introducere multitudinem, est reuera Deum tollere) sic unus omnium rex & Imperator, unum illius uerbum, & regia lex una, quæ non uerbis exprimitur et syllabis, neq; qualis in picturis & columellis delcripta, temporis longinquitate consumitur, sed uiuit & uiget perpetuò, utpote quæ nihil aliud sit quàm Dei sermo, omnibus hominibus qui & ipsi parent, & post eum nati sunt, patris regnum præparans. Hunc copiæ cœlestes, infinitaq; millia angelorum, Dei inseruientium uoluntati, et diuini exercitus multitudine infiniti cingũt. Quinetiam hic regius Dei sermo omnibus spiritibus, qui abditè intra cœli ambitum delitescentes, totius mundi gubernationi subseruiunt, uelut quidam summi Imperatoris præfectus, præest. Hunc summum ducem, pontificem magnum, patris prophetam, magni consilij angelum, lucis paternæ splendo

Constantini filij tres, imperio successores.

Commendatio Monarchiæ.

rem, filium unigenitum, alijsq; infinitis huius generis nominib. expressæ theologorum uoces appellant. Quem quidem, utpote unum Dei sermonem, legem, sapientiam, omnisq; boni plenitudinem pater constituens, uelut donum salutare omnibus qui ipsius obsequuntur imperio, elargitus est. Hic res etiã tranat uniuersas, ubicq; incedit, patris munera erogat, affati in omnes exemplar regij dominatus hominibus in terris habitantibus porrigit, animumq; humanum ad ipsius imaginem factum diuinis exornat facultatibus. Hinc aliarum uirtutum quasi communio influit in animum, & ex eius diuinitatis fonte manat. Nam solus ille sapiens, solus Deus, solus essentia bonus, solus denicq; robore ualens: iusticiæ item procreator, parens rationis & sapientiæ, fons lucis & uitæ, ueritatis & uirtutis quasi promus & condus, ueri imperij, omnis principatus ac potestatis moderator. At unde ista hominibus cognita? quis auribus mortaliũ hæc suppeditauit? Quis lingua carnea, ea quæ sunt carnis corporisq; expertia, exprimere potest? Quis regẽ ab oculorũ aspectu seclusũ cõsiderãs, istas in eo facultates & uirtutes inesse animaduertit? Nã sensib. quidẽ tũ elemẽta eis dẽ cognata unde corpus cõstat, tũ res aliæ ex illis cõcretæ, percipiũtur. At nemo hactenus est aliquãdo gloriatus, se uniuersitatis regnũ, q̃d aspectũ hominũ fugit, oculis corporeis cõspicatũ esse. Neq; pfectò natura mortalis, sapiẽtię pulchritudinẽ cõprehẽder eualet. Quis sensib. corporeis iusticiæ quali uultũ aspexit? Vnde notio imp. uerè legitimi, potestatisq; planè regiæ hominib. succurrit? Vnde principatus, q̃ suo pẽnutu regit oĩa, ei qui est carne & sanguine circũdatus, cognosci poterat? Quis species illas abstrusas figuraq; carentes, qs essentiã corporis & figuræ expertẽ, hominib. in terris p̃dicasset, si nõ unus fuisset istarũ interpres Dei sermo, qui per res permeat uniuersas, quicq; essentiæ, quę ratione solum & intelligentia ab hominibus comprehenditur, parens & procurator est? Qui solus cum diuina patris essentia cohærens, suorum quasi liberorum animos diuinitatis paternæ fluentis rigat. Ex hoc fonte prudentes cogitationes quę sunt naturaliter in nostris mentibus insitæ, ad omnes homines, tam Græcos, quã barbaros permanarunt. Hinc rationis & sapientiæ notiones: hinc prudentię & iusticiæ semina: hinc artium perceptiones: hinc uirtutis cognitio, gratumq; & iucundum nomen sapientiæ: hinc uenerandus philosophiæ amor: hinc ipsius Dei uisio, & uita præclarè ad pietatem instituta: hinc omnis boni & honesti notícia: hic humani regni firmitas & imperium omnium orbem terrę incolentium inexpugnabile. Hic porrò Dei sermo, qui est animantium rationis particípium parens, effigiem ad imagem & similitudinem Dei hominis impressit in animo, hocq; animal uerè regium, solum eorum quæ in terris giguntur, ad imperandum aptum effecit. Cui etiam sciẽtiam ingenerauit futura præmeditandi: hincq; de spe regni cœlestis, quæ nobis ostentata est, præiudicandi: propter quam ille ipse, qui nostri omnium filiorum suorum pater est, in mundum ingredi, & cum mortalibus in congressum & colloquium uenire est minimè grauatus. Qui & semina in animos nostros sparsa, instar agricolę colere, & dona nobis cœlitùs demissa renouare, & omnibus cœlestis regni participationem annunciare non dedignatus est. Quinetiam omnes uocauit, imò uerò sedulò hortatus est, ut ad iter cœleste suscípiendum essent instructi, stolamq; dignam sua uocatione præpararent. Porrò autem facultate quadam inexplicabili mundum uniuersum, quem sol lustrat, sua doctrina compleuit: hacq; adumbrata regni terrestris specie, regni cœlestis expressit effigiem, ad quod uniuersum hominum genus uti studiose contendat, impellit, præclaramq; illius consequendi spem eorum animis iniecit. Cuius quidem noster hic Deo charus Imperator, etiam iam in hac uita sit particeps, tum quòd uirtutibus à Deo in eius animo insitis ornatus sit,

Christi nomina.

Theologi hoc loco, pro prophetis, euangelistis & Apostolicis qui scripturas Sacras nobis reliquerunt, capiendi sunt.

Dei similitudo in homine.

Christi doctrina regni cœlestis effigies.